

Præ II. num. 22.

Q. D. B. V.

1687, 21

30

**DISPUTATIO JURIDICA
DE
EXCEPTIONE IN HA-
BILITATIS CONTRA
ADVOGATUM,**

*Quam
Permissu Illustris JCtorum Jenensium
Ordinis,*

P R A E S I D E

Dn. JOHANN-CHRISTOPHORO

Dn. Patrono, ac Præceptore suo aternum colendo,

*Ad diem Galii
Anni cIo. Ix. LXXXI.*

In Auditorio Juridico

Publicæ Eruditorum censuræ exhibet



GOTTOFREDUS SCHELLER,

*Plavia - Variscus.
AUTOR & RESPONDENS.*

JENÆ,

Literis Samuelis Adolphi Müller.

**DEO
PATRIÆ
&
PATRONIS.**

GOTTFREDI SCHILLER

PRAE-LATINUS

AUTOR-KRISTONIUM



AUSPICE JUDICUM JUDICE.
DE
EXCEPTIONE IN-
HABILITATIS
PRÆFATIO.

Nobilissimam Advoca-
torum esse functionem, hu-
manoque generi, ac Reipubl.
potiori favore dignissimæ,
maximè necessariam, ex no-
tissima, inque omnium ferè ore versante
l. Advocati. 14. Cod. d. Advoc. divers. Judic.
abundè constat, neque DD. à prælaudatæ le-
gis, Advocatorum encomium continentis,
dispositione recesserunt, *Dn. BRUNNEM. ad*
d. l. PEREZ aliique DD. omnes: modò sint
honesti, pii, Jurisque scientiâ ornati Viri
CARPZ. in Jurisprud. for. p. 1. c. 1. d. 18. n. 5.
BRUNNEM. cit. loc. n. 3. Indigni itaque co-
sunt

sunt ii encomio , qui omnia , cupiditate lu-
ci illecti , moluntur , ut litem vincant , ju-
sta ac in justa , per fas , & etiam per nefas ,
aus allen beyden Fasß / uti jocosè refert
CARPZ. p. i. c. i. d. 20. n. i. ex JOH. PETR.
ALA in tract de Advoc. & causid. Christi p. i
q. 12. Qui non eloquentes, sed simpliciter lo-
quentes , garrientesque existunt , quibus o-
ptimè convenit Titulus Rabularum : Qui
scribæ officio functi , aut prorsus opifices
sunt , nec Juri operam in Academiis dede-
runt : Qui lites ex litibus serunt , subditos
contra Magistratum suum concitant : qui
se venales exponunt , & venientibus occur-
runt , dicentes : Domine , benè veniatis ,
quid habetis facere in curia ? Si vobis ne-
cessarium est meum servitium , præcipiatis ,
sicut refert CARPZ. p. i. c. i. d. 21. ex SPECK-
HAN. class. 4. q. 44. n. 4. Aliiq; adhuc plures
reperiuntur indigni , quos omnes hic enu-
merare nimis longum foret. Quare rectissi-
mè eminentis Prætoris magna non pati-
tur autoritas ejusmodi farinæ homines a-

pud

pud se postulare; concessumque eorum etiam adversariis Exceptionem *Inabilitatis* contrā eos opponere. De qua, cūm alias *Inabilitatis* materia nimis sit ampla & prolixia, ut paucis paginis includi vix possit, præsentī exercitio Academicō, secundūm ingenii mei facultates, breviter tractare constitui, quod propositum, ut feliciter cedat, DIVINUM NUMEN ardentissimis precibus imploro.

Thes. I.

 *P*sus materiæ initium facturo principaliora Etyma tituli vocabula in præsenti Disputatione logia contenta, prius veniunt enodanda. Quæ inter primo loco habetur vocabulum *Inabilitatis*. Quod originem trahit à præpositione *in*, quæ vim privandi habens, hoc loco idem denotat ac *non*, & adjectivo *habilis*: hoc autem à verbo *habere* descendit; adeoque opposens hanc *Inabilitatis* *Exceptionem*, nihil aliud intendit, quam ut is, qui liti pro alio coram Judice regunda sese offert, tanquam indignus, ineptus, ac minus idoneus rejiciatur.

Th. II. Duplicem itaque significatum, *generalē* nimirum & *specialem* *Inabilitatis* vocabulo aptari posse, conabor evincere arg. 1. *Inuria*. 1. ff. d. *Inuriis* it. arg. pr. *Inst.* d. *tit.* In generali namque significatione omnem omnino in omni re, inter homines vel/agenta, vel omitenda, Incapacitatem, ac Ineptitudinem

dēnotat! In *speciali* verō saltim illam, quā quis pro
alio coram Judice causam orare impeditur; & hanc
specialem significationem in nostro versari proposito,
neminem, verba subsequentia Tituli Dissertationis no-
strae intuentem, dubitaturum credo.

Synonymia Th. III. Eundem significatum cum vocabulo
inhabilitatis habere videntur incapacitas, ineptitudo.

Etymologia Th. IV. *Advocatum* autem ab *advocando* dici,
quia advocatur eum in finem, ut partibus adsit, easque
adjuvet, nullum habebitur dubium. *Dn. D. OSVALD.*
HILLIG. in *Donell. Encl. lib. 18. cap. 3. lit. A.* *TERENT.*
Adelph. *Act. 2. scen. 5. ubi Mitio sic loquens adducitur:*
*Amicus quidam me à foro abduxis modò buc *advocatum**
sibi; & paulo inferius cit; loc. Idem *Mitio;* *Advor-*
sum ne illum causandicerem, cui *veneram Advocatus.*

Homonymia Th. V. Proindeque ampliori verbī usū omnes,
qui causis agendis quoquo studio operantur, & in o-
mni tractatu negotii adfuturi sunt, comprehenduntur.
ULPLAN. *l. præses. s. 8. advocatae n. ff. d. Extraord. cognit.*
Dn. D. OSVALD. *HILLIG.* *cit. l. PETR.* *GREG.* *THOLOS.*
in Syntag. Jur. univ. lib. 49. cap. 6.n.5.

Synonymia Th. VI. *Angustiori* verō, qui nostri propositi
est, is saltim venit, qui suā autoritate, consilio, & o-
pera litigantem in iudicio adjuvat. *Dn. D. OSVALD.*
HILLIG. *cit. l. lit. O.* *Dn. CARPZ.* *in process. Jur. tit. 5.*
arts. 1. §. 1. n. 9. *THOLOS.* *d. 1.*

Synonymia Th. VII. Dicitur alio nomine causæ Patronus,
Orator, Rhetor, Causidicus, *THOLOS.* *d.l.n. 2. Magnif.*
D. BECHAMAN. *in Comment. ad ff. V. 1. part. 1. Exerc. 3. n. 42.*

Th. VIII. Et quamvis Jure civili multum fuerit
discriminis inter *Advocatum* & *Procuratorem*, ut pro-
prie ostendit *DONELL.* & *HILLIG.* *lib. 18. c. 3. lit. O.* us-
que ad lit. R. *GIFAN.* ad Rubricam ff. d. *Procur. n. 10.* &
seqq.

¶. Imprimis, quod *Advocatus*, vigore officii publici, sub poena privationis officii compelli possit ad praestandum patrocinium *l. providendum* et in verbis: careat foro. Cod. d. postulando *GAIL.* lib. 1. obs. 43. nro. 5. nisi certa nitatur excusatione *d. l. providendum*. *GAIL.* d. l. Procurator vero non item. *l. invitatus* 17. Cod. d. Procur. neque ratio hujus diversitatis deest solida: quia Procurator ex mandato suscepito negotia gerit, ad quod suscipiendum invitatus cogi non potest. *Imp. Just.* in §. mandatum non suscipere ut. *Inst. d. mandato.* *l. invitatus* Cod. d. procur. *DONELL.* & *HILLIG.* cit. *l. lit. O.* *GAIL.* cit. *l. n. 2.* Porro quod *Advocati* officium validè sit laudabile, atque honorabile *l. advocati* 14. Cod. d. *Advoc.* divers. *Judic.* *CARPZ.* in Proc. *Jur.* tit. 5. art. 1. §. 1. n. 14. *GAIL.* cit. *l. n. 4.* *DONELL.* & *HILLIG.* cit. *l. Procuratoris* verò vile admodum, adeo ut etiam infamis non arceatur §. ult. *Inst. d. Except.* *l. si quis* *procurationem* 43. Cod. d. *Decur.* *DONELL.* & *HILLIG.* d. l. *lit. P.* *GAIL.* cit. b. n. 5. & 8. *CARPZ.* cit. *l.*

Th. IX. Hodie tamen res se habet aliter, & non amplius *Procuratoris* officium vile est, sed honestum, ac, uti *Advocati*, honorificum, tum, secundum *Jur.* *Can.* dispositionem in *can. 2. caus. 3. q. 7.* tum, per ordinem *Camer. p. 1. lit. 18.* cuius vigore nemo in *Procuratorum* numerum suscipitur, nisi sit Doctor vel Licentiatus: *GAIL.* cit. *l. n. 7.* *CARPZ.* cit. *l. n. 15.* tumque denique aliorum insignium, curiarum provincialium, beneque constitutorum *Judiciorum* moribus, attestante *OSWAL.* *HILLIG.* in *Donell.* *Encl.* lib. 18. c. 3. lit. Q. *GAIL.* cit. *l. n. 8.* *CARPZ.* cit. *l. n. 19. 20. 21.* *PETR.* *GREG.* *THOLOS.* in *Syns. Jur.* lib. 49. c. 4. n. 5.

Th. X. Hinc fluit, quod *Procurator*, in Camerataque sub poena privationis officii, ut *Advocatus*, ad

præ-

præstandum patrocinium compelli possit. Ordin. Cam.
p. 1. tit. 19. §. 5. GAIL. auct. l. n. 6. CHIL. Röhl. in pro-
cess. p. 1. c. 12. n. 4. & legg.

Th. XI. His ita nunc præmissis, de facili con-
flare arbitror, quod sic, hodiernis imprimis moribus,
inclusam (certo respectu) *Procuratorum* habeamus per-
sonam, ut æque contra eam *Inabilitatis Exceptio*, se-
cundum nostri propositi rationem, obtineat.

Th. XII. Describere itaque sic placet *Exceptio-*
nem Inabilitatis quod sit jus, quo litigans in judicio
contra litigantis causam Oraturum utitur, eum in fi-
nem, ut non admittatur, instantiaque dissolvatur.

Th. XIII. Opponere autem hanc *Exceptionem*
potest vel ipse *Principalis*, vel minus *Principalis* immo &
quandoque judex ad evitandam Processus nullitatem.

Th. XIV. Sed pone, filium & patrem concir-
rere in foro, an etiam *Exceptione* hæc filius (v. g. si pa-
ter jura non didicerit in Academiis, vel in barnum Im-
perii inciderit) contra patrem uti possit? Affirmati-
vam conabimur tueri (1.) Quia pater satis dare tene-
tur i. fidejussor. 2. §. 2. ff. qui satis dare cogantur &c. (2.)
arg. l. 1. ff. it. arg. princ. Inst. de inoffic. test. (3.) l. 1. §. 4.
ff. de *Except.* ubi generaliter afferitur, *Exceptiones*
quasdam ex persona esse dilatorias (4.) arg. l. 4. §. 1. l.
13. ff. de *in ius vocando.* §. penales. 12. Inst. de *Action.* ex
quibus Juris texibus satis patet, veniam ab ipso Pratore
imperata, patrem in ius vocari posse, quod hodie
vetusto in ius vocandi more desuetudine in umbrato,
minus habet dubii: cui itaque jus competit agendi,
illi etiam jus excipiendi: cum *Excipiens* pro *Actore*
habeatur *ULPIAN.* in *l. agere* 1. ff. de *Exception.*

Th. XV. Obstat videtur i. liberro. 9. ff. de ob-
sequiis parentibus & patron. præst. ex qua clarum eva-
dit,

dit, semper sanctam, honestamque personam patris
filio videridebere, proindeque minime videtur per-
mittendum esse, ut filius prælaudatæ contræ Partem
Exceptione utatur. Resp. Nihil iniquitatis aut im-
pietatis injuriæ vel filium secundum legitimos trami-
tes excipientem, contræ Patrem committere: cùm
is, qui jure suo utitur, nemini faciat injuriam. Re-
tius tamen & religiosius filium hoc in passu facturum
arbitramur, si ab eiusmodi Exceptione abstinuerit
arg. i. S. s. ff. arg. §. ostendimus 2. Inst. de susp. Tit. vii
Curat.

Th. XVI. Ad ipsam propositi nostri rationem
proprios pervenientes, præmittendum duximus,
quasdam personas, variis ex causis in judiciis pro aliis
causas tractaturas, non esse admittendas: vel ob ar-
tatem minorenem, Juris Imperitiam, mandati-
centiam, sextum, Infamiam, prohibitionem à Judice
factam, ebrietatem, militiam, casum, vel ob aliam
supervenientem causam, de quibus ordine.

Th. XVII. Etatem quod attinet, masculum,
annos septem & decem completos annos nondum
habentem, in tantum ad Advocacionis munus geren-
dum esse Inhabilem, ut etiam, neglectâ ab Adversario
Inabilitatis Exceptione, ipse Judex ex officio illum
rejicere possit, ne quidem de Jure Civili, l. hunc sita-
lum. i. §. initium. 3. verb. pueritiam excusavit ff. de Po-
stulando. multo minus de jure Cani, cap. qui generali-
ter. 5. vers. ult. ambigitur: cùm incivile minusque
decorum sit, eos, qui alieno auxilio in rebus suis ad-
ministrandi egere noscuntur, & ab aliis reguntur, ad
aliorum causas in judicio gerendas admittere §. idem
major. 13. Inst. de Excus. cur. vel curat. cap. indecorum
est 3. de etate & qual. & ord. præsciend. PETR. GREG.
THOLOS, in Synt. Jur. lib. 49. cap. 6. n. 21.

Contra
quem.

B

Th.

Th. XVIII. Nec obest, non nullos tam praeconciisse sapientia Juvenes, ut habiliores ad causas tractandas in judicio sint sepe in minorenitate, quam alii in majorenitate. Resp. quod hoc per rarum, & magis ad id, quod frequentius contingit, respiciendum sit. arg. §. minorem natu. q. Inst. de Adoptionibus.

Quæst.

Th. XIX. Sed posito, aliquem esse quidem majorem XVII. annis, minorem autem XXV. (J. verò Sax. XXI.) an valide Inhabilis. Exceptio ab Adversario contrà ejusmodi *Advocatum* opponi possit. Affirmandum hoc esse arbitramur arg. §. invisi. Inst. de Curat. l. minor. s. in pr. ff. de Procur. & Defens. l. exi- gendi 12. Cod. de Procur. cap. qui generaliter. §. ult. de Procur. in 6to. Dn. BRUNNEM. ad dict. l. Cod. Illustr. J. C. STRUV. Exerc. ad ff. 7. et hef. 30. Magnif. Dn. BECH- MANN. in Comment. ad ff. vol. l. part. 1. Exerc. 9. num. 15. Dn. D. OSWALD. HILLIG. in Donell. Encl. lib. 18. capo. 3. lit. T. Dn. CARPZ. in process. Jur. tit. 5. art. 1. n. 3. It. p. 3. Decision. Illustr. 103. n. 9. ZANGER. de Except. p. 20. c. 8. n. 84. & seqq. usque ad n. 95. FRANCISC. DUAREN. ad dict. ff. de Procurat. & defens. cap. 4. n. 11. WESEN- SCHNEIDW. MYNSING. ad §. justa autem. Inst. quibus ex causis manumittere non licet. nec ratio hujus decisio- nis deest solida, quia minor XXV. (J. Sax. XXI.) annis *Advocatus* seu *Procurator*, si admitteretur ab Adversario, causamque amitteret, restitui in integrum posset in non mediocre ipsius Adversarii præjudicium. l. minor 2. Cod. qui legitimam pers. standi &c. tot. tit. ff. de minor. viginti quinq. ann. Dn. OSWALD. HILLIG. cit. l. & alii Dd. BRUNNEM. CARPZ. ZANGER. DUAREN. THOLOS.

Th. XX. Graviter autem allata sententia ad- versari, sicque si bimeti ipsi contradicere videtur UL-

PLAN.



PIAN. cit. l. & §. ff. de Postul. ubi saltim is arcetur à
postulandi munere, qui minor est XVII annis; non
vero æque is, qui major est XVII. annis, quamvis ad
huc annis XXV minor sit: Imò ratio ab ULPIANO
ibi adjecta, quod nimurum major annis XVII. habitus
sit ad procedendum in publicum, dissensum magis u-
nâ cum citato ibi exemplo de Nerva filio, qui hac æta-
te, aut paulo majore de jure publicè responsitavit,
corroborare videtur. Resp. Minorem XXV annis,
ab Adversario sine protestatione & oppositâ Inhabili-
tatis Exceptione, admissum, Prætorem humanitatis,
doctrinæque rationem habentem, prælaudatamque
statem ad procedendum in publicum moderatam
consentem, non repellere, processumque robur su-
um ob hanc admissionem à Prætore, tacente & pati-
ente Adversario, factam, ipsò jure non amissurum.
Brevibus. Ius in opposita lege ita est intelligendus, si
Adversarius tacuerit, Jure quo suo minus uti voluerit,
tunc Prætor, cum hæc res jura partium concernat,
Ipsique nulla imputari culpa possit, XVII. annis ma-
jorem admittit, & ita tenet Dn. D. OSWALD. HILLIG.
cit. l. & Dn. CARPZ. cit. process. Jur. tit. s. art. 1. n. 29.
it. p. 3. Decis. Illustr. 203. n. o. & BRUNNEM. ad l. 12.
Cod. de Procurat. n. 13.

Th. XXI. Impedimento ulterius assertioni
nostræ esse videtur §. Just. s. Inst. quibus ex caus. manum.
non lic. & l. si collectaneus 13. ff. de Manum. vindicta.
Ex quibus Juris textibus manifestissimè appetet, mi-
norem XV annis quendam ex servis tuis, manu-
missurum Procuratoris habendi gratiâ, non aliter au-
diri, causamque manumissionis à consilio approbari,
quam si seruus, Procuratoris habendi gratiâ manu-
mittendus, annis XVI. major sit: quos textus vulgo

DD. de Procuratore judiciali accipiunt WISSENE.
disp. ad Inst. 5. thes. 24. LUDWELL. disp. ad Inst. 1. tb.
19. lit. D. TREUTLER Vol. I. disp. 8. tb. 1. lit. E. pro-
indeque inferunt majorem XVII annis Procurato-
rem judiciale esse posse, alioquin Cæsar & ICtus non
præcise in allegatis textibus exegissent, ut servus ma-
numittendus Procuratoris habendi gratia, annis XVII,
major sit, cum utique & puer ad negotia extra judici-
alia gerenda sufficiat, ut manifeste probat i. deniq. 3. §.
fin. ff. de minoribus 1. sed et si. 7. §. Papillus 2. 1. 3 ff. de Inst.
Action. arg. §. 36. Inst. de Actiisnib. tot. tit. Inst. quod cum
eo, qui in alien. pot. §. est neg. geste esse dic. Resp. omni-
nō negando, textus oppositos de Servo, Procuratoris
Judicialis habendi gratia, manumittendo præcise esse
intelligendos. OSWALD. HILLIG. d. 7. lib. 18. cap. 3.
neccitubantes reddimur, quod alias Cæsar & ICtus in
oppositis textibus atatem annis XVII majorem, ut
moderatam ad procedendum in publicum, frustra
exegissent, si saltim Procuratorem extra judiciale
intelligendum esse voluissent, quippe cum & puer
servus talis esse possit. d. 1. 3 ff. de Inst. Act.

Th. XXII. Regeritur namque secundum L. A-
lix senti caput, justam manumissionis causam ex-
gens, nihil aliud, quam utilitatem XXV annis minorum
intendere, quem tamē finem vix consecutum
est, si approbaret, pupillum minus re sui Do-
mini negotia gesturum, Procuratoris etiam extraju-
dicialis habendi gratiam manumitti posse. Dr. OSW.
HILLIG. d. 1. Resp. Posito, (sed in præjudicium veri-
tatis minimè concessu) oppositos textus commode
capi posse de Procuratore judiciali: idem sensus ni-
hilominus iisdem optandus est, quem L. 1. §. 3. ff. de
Postulando, aptavimus: nimirum, minorem XVII annis

*Procuratorem esse posse, si Adversarius taceat, nec
opponat Exceptionem *Inabilitatis* : Sin vero mix-
tus, non æque. Dn. CARPZ. in process. Jur. d. tit. Cr.
art. n. 30. & d. Decis. Illustr. n. 33.*

Th. XXIII. Sed quid dicendum est, si minor
XXV. annis (jur. vero Sax. xxi) sit oblonga statura,
barbaq; minus mediocri prædius, nonne sic e jusmodi
corporis dotibus anni majorenitati deficientes, resar-
ciuntur ? Resp. nullo modō, cum nulla de hac re lex
loquatur, quare & nobis tacendumerit : & sic etiam
in praxi observatum fuisse attestatur Dn. CARPZOY.
d. p. 3. Decis. Illustr. 203. n. 36. uti ex verbis Responsi
patet seqq. Ob nun wohl Eurer Meinung nach in
Rechten nicht so gar ausdrücklichen verbothen / daß einem
Minorenni, welcher seine Jahr noch nicht erreicht / das
advociren vor Gericht aufgetragen werden könnte / auch eue-
ren andeuten nach der Advocat lang von Person und einen
ziemlichen Barth hat. Dafeme aber derselbe das 21.
Jahr seines Alters nicht erreicht hätte / noch ein anders
bey bringen möchte / Gegenheit auch ihn nochmahls zu
zu lassen nicht gemeinet / so wäret ihr einen andern Advo-
cate zu bestellen schuldig V.R.W.

Th. XXIV. Quidam D. Juris minor XXV. an-
nis causas in judicio tractatus est, opponitur ipsi ab
Adversario *Inabilitati*. Exceptio, queritur an recte ?
Resp. videndum esse, an D. Juris possit restitu in in-
tegrum : & quod non possit restitu, si Iesus fuerit in
iis, quæ ad peritiam Juris pertinent, communiter
DD. statuunt Illustr. Jctus STRU V. in Synt. Jur. Civ.
Exercit. 8. th. 55. Dn. OSWAED. HILLIG. in Donell.
Ench. lib. 21. cap. 11. lit. B. Dn. BRUNNEM. ad Cod. tit.
qui & adversus quos in integr. rest. non poss. & ad l. 6. n.
25. & 27. Cod. de Muner. patrim. lib. 10. WISSEN.
B. 3. diff.

Q.

disp. adff. 14. tb. 4. FRANCISC. DUAREN. ad l. 1.
Cod. qui & adversus quos &c. SCHNOBEL. disp. adff.
4. tb. 18. QVIDO PAPÆ decis. 88. n. 4. BONETONI-
US in annot. add. decis. QVID. PAP. SFORTIA ODDO
de Restit. in integr. p. 1. quæst. 23. art. 7. quia petitio e-
jusmodi hominis pugnaret cum suâ professione arg. l.
professio 6. Cod. de munerib. Patrimon. lib. 10. & turpe
esset causas oranti jus ignorare. Pompo. l. necessari-
um 2. §. servitus 43. ff. O. J. Hinc cessante restitutio-
nis in integrum metu, constabit, Adversarium cum
sua Exceptione non esse audiendum contrâ D. Juris
XXV annis minorem l. 1. §. 3. ff. de Postul. arg. l. 15. ff.
de Procurat.

Th. XXV. Non tamen indistincte omnis XXV
annis major tutus est, quo minus ipsi inhabilitatis Ex-
ceptio variis ex causis opponi possit: Quare ulteri-
us requiritur, ut Juris peritia sit instruatus, l. nec cate-
rorum 2. Cod. de Postulando l. 9. Cod. de l. l. 1. §. advoca-
tos. 11. ff. de Extraord. cognition. l. nemini 11. §. 1. verb.
facundiæ studiis eruditii Cod. de Advoc. divers. Judic. Or-
din. Cam. Imper. p. 1. tit. 18. verneuerste Reichs-Hofraths
Ordnung J M P E R. F E R D I N. III. tit. 7. in princ. S E R E-
N I S S. E L E C T. SAX. tit. 3. der Proceß und Gerichts-
Ordnung s. besonders aber wollen wir. Dn. MEVIUS.
p. 1. Decis. Wism. 189. FIBIG. in proc. cap. 2. §. 1. Dn.
NICOL. in process. cap. 6. n. 2. CARPZ. in process. Jur.
tit. 5. art. 5. §. 1. 10. in Jurisprud. p. 1. conf. 1. def. 18. u-
bi præjudicium habet his formalibus: Do er nun auch
seine Testimonia, daß er auff Universitäten gewesen und
Jura studiret / von seinen Præceptoribus, so er gehöret /
zuden Asten bringen / und er also auch seine Person gnug
geschickt machen würde/so were Bekl. etc.

Th.

Th. XXVI. Formulam excipiendi contrā e-
jusmodi *Inhabilem* præbet Dn SCHWENDEND, in no-
tis ad F 1 B 1 G, process. cit. c. t.

Th. XXVII. Hoc ita nunc posito, inquiren-
dum est, an ad docendam Juris scientiam, aptitudi-
nemque ad orandum causas, quodvis testimonium,
studii Juris in Academis tractati, aut Disputationis
habita productio, aut opera in inferioribus Judiciis
praxi data, sit suffictura? Negativæ subscribimus
cum Dno. MEVIO p. 1. Decis. 189. saltim in inferiori-
bus judiciis ejusmodi hominem *Inabilitatis* Exce-
ptionem à se aversurum, existimante: in superiori-
bus vero non æquè: quia non plena fides virtutis e-
jusmodi testimoniis haberi possit.

Th. XXVIII. An igitur tale, titulo Doctoris
dignè impetrato, insit, quæstionis est? Affirmativam
sovet MEVIUS cit. Decis. eamque sovere videtur Dn.
HILLIG. in Donell. Encl. lib. 19. cap. 3. lit. P.

Th. XXIX. Ex traditis abunde patet, *Inhabili-
tatis* Exceptionem illi omnino nulla distinctione Ju-
dicatorum adhibita, obsfutram, qui magis opificio &
liberis, quam libris, Juris artem continentibus, de-
dit operam. Et hinc non inuria Senatus Torgavien-
sis contrà pannificem quendam decrevit, daß er seines
Handwerks warten/ in den Amt und vor den Rath des
Advocatens / Vorträge / Erbscheidungen / Contrakte und
Briefe zuverfertigen / sich enthalten solle. Dn. CAR. P. L.
Resp. Jur. Elect. s. lib. 3. n. 6. ubi in fine addit, non so-
lum in Leuteratione, sed etiam in supremo Appella-
tonum Judicio prædictum Senatus Torgaviensis de-
cretum confirmatum fuisse, additâ clausulâ, quæ d.
loco videri potest.

Th.

Th. XXX. Secundò etiam præter majorē enitatem requiritur, ut *Advocatus* s. *Procurator*, etiamsi sit Jurisperitissimus, mandatō legitimè confessò, de quo tractat CARPL. in proc. *Jur.* tit. 5. art. 1. §. 3. & Dn. NICOL. in proc. cap. 7. ubi inf. formulas tam ex parte Actoris, quam Rei exhibet, sit instructus: ratio sat clara est, quia judicium in mandato substantiatur, pro ut loquitur BALDUS in l. exigendi 12. Cod. de *Procur.* n. 4. FELIN. in cap. inter monasterium 30. X. de *Sentent.* & re *jud.* n. 4. quos refert CARPL. cit. proc. n. 57. Et hoc ipsum statim in litis exordio exhiberi debet, alioquin nihil agitur CARPL. dict. proc. n. 55. Ipsique *Judex*, parte legitimationem non exigente, ex officio ejusmodi *Advocatum*, vel *Procuratorem*, ad nullitatem Processus evitandam, repellere potest & debet. BARTOL. in l. 1. & in l. licet Cod. de *Procurat.* CARPL. lib. 3. Resp. Elec. 5. n. 14. Dn. HILLIG. in Donell. Encl. lib. 18. cap. 12. lit. G. Dn. NICOL. in process. cap. 7. n. 9. BERLICH. p. 1. concl. 14. n. 12. & seqq. ZANGER. p. 2. c. 8. n. 36. de Except. cum reipubl. intersit ne judicia reddantur elusoria. Dn. BRUNNEM. ad l. licet. 24. Cod. de *Procur.* concordat. Ordin. Process. *Judic.* ELECT SAX. tit. 7. in pr. Ex qua tria promanant dispensia, partim ad *Advocatum* s. *Procuratorem*, partim ad clientem s. principalem: videlicet (1.) positio-nes in judicando non attenduntur, proflusque ab A-dis removentur (2.) Impensæ, in instantiam factæ, parti adversæ sunt refundendæ (3.) *Advocatus* mul-tam pecuniariam, & quidem primâ vice 5, pro se-cundâ, 10. thalerorum & sic consequenter incurrit: & secundum prædictam ordinationem judicari, te-statur CARPL. lib. 3. Resp. *Jur.* Elec. 5. num. 20. verb. Das die von Beßlagtens Anwalten ohne Mandat einges-brach-

brachte Gesetze von denen Acken zu removiren / und ist
Beklagter Kläger die Kosten dieses Termins auf uns
seine Ermäßigung zu erstatten schuldig / der Advocat aber
wird um s. Reichsth. billig in Straße genommen / wel-
che durch unsern Lehen- und Gerichts Secretarium un-
säumlichen von ihm einzubringen V.R.W.

Th. XXXI. Sed quid, si blancetum, seu Char-
tam vacuam, ein Blanquet / producat *Advocatus* seu
Procurator, nonnetunc pro habili & satis legitimato
habendus ? Neg. Chur-Fürstl. Sächs. Appellation-
Ordnung / Tit. Ordnung wegen des Verleghen verl. die
Advocaten eins theils etc. BERLICH. p. 1. concl. 14.n.91.
CARPZ. dikt. proc. tit. 5. art. 1. §. 6. n. 110. usque ad n. 12.
Nec sanari poterit defectus ejusmodi per verba à
mandante subscriptioni adjecta : *hoc esse mandatum in*
tali vel talis causa : NICOL. in dict. proc. n. 12. Ra-
tio : quia & in tali falsitatis suspicio militat. BERLICH.
d.l. n. 92. Imo nec juvat *Advocatum* vel *Procuratorem*
ad legitimandum , si per literas mandantis vel
Principalis velit mandati defectum supplere. Dn. NI-
COL. cit. proc. c. 7. n. 12. ubi refert, ita in supremo Ap-
pellationum Judicio Term. Martin. 1627. decisum fu-
isse in causâ Frauen Annen Amalien (Gräfin zu Solms)
Witwen an einen : Herrn Graf Ottens zu Solms
Lehnsfolgern an andern Theil. Excipitur tamen, si
literæ omnia legitimi mandati contineant requisita,
ut tradit CARPZ. d. Resp. n. 6. nec dubium est , quia
hujusmodi literæ magis legitimum mandatum, quam
literas repræsentant. CAMILL. BORELL. in summar.
Decis. tit. 66. n. 90. à CARPZ dikt. l. circa 8.

Th. XXXII. Pari quoque modo secundo loco
non obest *Inabilitatis* exceptio *Advocato* vel *Procu-*
ratori, mandato minus legitimo instruquo , si modo

in ipso adhuc termino judicialiter cautionem rati re-
aliter (juramentum enim non sufficit) praestare para-
tus sit, quod fit per Judicij Notarium, hanc rem Aclis
insinuantem. CARPZ. in process. tit. 5. art. 6. §. 1. n. 2.
2. 4. ubi pronunciandi formulam exhibet.

Th. XXXIII. Quod multò magis obtinet in
persona sanguine conjunctā, quæ ipsa, etiam sine
mandato, præstā realiter cautione Rati, Exceptione
inabilitatis non obstante, admittitur. ULLIAN. in l.
sed & he. 35. pr. ff. l. exigendi. 12. l. maritus. 21. Cod. de
Procurat. Dn. HILLIGER. in Danell. Encl. lib. 18. cap.
12. lit. K. BRUNNEM. ad Cod. dict. ll. CARPZ. dict. proc.
art. 6. n. 10. quod inter ascendentēs & descendēntēs in
infinitum obtinet. d. l. sed & he 35. pr. ff. de Procur.
CARPZ. d. l.

Th. XXXIV. Consangvineos verò collatera-
les quod attinet, DD. non conveniunt, ad quem us-
que gradum de J. Civili beneficium hoc extenden-
dum sit. vid. BRUNNEM. ad l. 21. n. 17. Cod. dict. Tit.
Dn. HILLIG. dict. lib. 18. cap. 12. lit. R. ubi statuit, quod
ultra fratres extendendum non sit, quia in cit. l. 35. pr.
fratrum saltim, nec ulterioris gradus cognatorum fie-
ret mentio: & hanc sententiam quoque approbat
CARPZ. cit. proc. n. 25.

Th. XXXV. Jure verò Saxonico, uti patet ex
Ordin. Process. Jud. Elect. Sax. tit. 7. res expedita est,
nimirūm admittuntur consangvinei collaterales usq;
ad gradum quartum exclusive. CARPZ. dict. loc. ubi
maritūm consangvineis subnequit num. 30. & denique
ex affinib; saltim generū & sacerū cum cautione
de rato admittit, n. 43.

Th. XXXVI. Nequē quarto obest Exceptio
inabilitatis ejusdem litis consortibus, cautionem de

ra-

rato præstantibus, sicuti expresse constituit SERENISS. ELECT. in Ordin. proc. Jud. tit. 7. §. 7. Vir loſſen aber sub fin. vers. welches auch in consortibus ejusdem litis statt haben soll. CARPZ. d. l. n. 50.

Th. XXXVII. Neutiquam tamen existimandum est, mandatum legitime confessum, (vid. hujus requisita diligenter tradita, & examinata, cum annexis formulis tam ex parte Actoris, quam Rei apud Dn. NICOL. in proc. cap. 7.) quamvis generale, modo non sit cum liberâ illustr. JC. STRUV. Syntag. Jur. Civ. Exerc. 7. th. 34. CARPZ. in proceſſ. Jur. tit. 5. art. 1. n. 69. & 83, per omnia personam Advocati vel Procuratoris legitimaturum; Sic nihilominus impedimento est legitimatiōni specialis causa, de qua verisimile est litigantes non cogitasse, quas inter eſt causa recognitio- nis documentorum: Reassumenda litis: Matrimo- nii: Delationis & Relationis juramenti: in integrum Restitutionis: capturæ: petendæ Executio- nis Instrumenti: de quibüs & aliis insuper pluribus videri potest JASON. int. exigend. 12. Cod. de Procurat. illustr. JC. STRUV. in Synt. J. Civ. dist. 1. THOLOS. lib. 49. cap. 4. n. 9. 10. CARPZ. lib. 3. Resp. Elect. 8. n. 12. & in proceſſ. tit. 5. peritor. ubi sententiorandi formulam adducit his verbis: Das Klägers vel Beklagtens An- wald seine Person durch Vorlegung eines sonderlichen hierzu ertheilten Mandats zu legitimiren schuldig V. R. W.

Th. XXXVIII. Quod etiam ad eas personas, quæ sine mandato admittuntur, quarum mentionem in precedenti theſi habuimus, recte extenditur. BRUNNEM. in l. 12. n. 11. Cod. de Procurat.

Th. XXXIX. Multiterem de Jure Civili pro aliis postulare non posse, ambiguum non est, i.e. §. 5. f. de

postuland. l. 12. ff. de Judiciis. l. 2. de R. J. (1.) quia contra pudicitiam sexui congruentem est, alienis causis se immiscere. d. l. 1. §. 5. (2.) quia mulieres à viris defendi aequum est, non verò contrà l. quod si 2. ff. de Injurias l. 18. cod. de procurat. (3.) ne Judex mulieris venustate, vel facundiā amore captus facile corrumperatur
Illustr. Jct. STRUV. in Synt. Jur. Civ. Ex. 7. th. 14. Dn. HILLIG. in Donell. lib. 18. cap. 3. lit. V. Quod multo magis Jure Saxonico obtinet, quippe quō nequidem in propria causa sine curatore ad litem legitimam in judicio standi personam habet. *Land R. lib. 1. art. 45. & 46. lib. 2. art. 63. const. Elekt. 15. p. 2.* in verb: Das hinsühro Witwen und Jungfrauen/ ohne Unterscheid des Alters in allen Rechtlichen Proceszen , sie halten gleich Klägers oder Beklagtens statt / ohne Vermunden nichts beständiges handeln mögen. *Dn. HILLIG. cit. l.* Et sic nullum prorsus est dubium, quin mulieri, alienas causas in judicio oratur, utroq; Jure, Civ. & Saxon. obster Exceptio, quod si mulier. *ZANGER. p. 2. n. 95.* ut etiam secundum jus Saxon. (secus jure civ.) ejus *Advocato* vel *Procuratori* aequē, ac si à pupillo esset constitutus, impedimento est Exceptio *Inabilitatis*: quia ut ipsa *inhabilis*, alium *abilem* reddere non potest, iuxta vulgatum: nemo potest plus Juris ad alium transferre, quam ipse habet. *ULPIAN. l. 54. ff. d. R. J.*

Th. XL. Quid si maritus? Idem dicendum, si tanquam *Procurator* uxoris agere vel excipere velit: Secus verò si tanquam Curator conjugalis, & conjuncta persona, tunc, præstita cautione de rato, admittitur. *cit. const. Elekt. p. 2. vers.* Wie denn auch die Ehemänner &c. *ZANGER. dict. tract. de Except. num. 2. 12.*

Th.

Th. XLI. Ponamus mulierem extra Saxoniam viventem, mittere *Advocatum* seu *Procuratorem* mandato instruquam in Saxoniam, an etiam valide opponi possit Exceptio *Inabilitatis*? Affirmatur per alleg. *Const. Elect.* 15. p. 2. *CARPZ.* ad dict. *Constit.* def. 7. & *Resp. Elect.* 13. l. 3. num. 1. arg. §. quam formam fin. *Inst. de satudation*: Et debet *Judex* ex officio talismodi mulieri, in foro Saxonico ad litigandum *inhabili*, curatorem constituere, veluti clarissime hoc ostenditur dict. *Constit.* in verb. *Ambushalben* &c.

Th. XLII. Finge casum contingere, quod Hermaproditus pro alio postulaturus est; Adversarius autem excipit contra eum, dicendo: *Tu es hermaproditus*, adeoque *inabilitus* ad postulandum, quid *Juris*? Putamus Exceptiōrem valitaram, quando liquido constat, sexum foemineū prævalere arg. l. *quaritur* 10. ff. *de statu homin.* junc. l. 1. §. 5. ff. *de postulando* & l. *advocati.* 14. *Cod. de Advoc.* divers. *Jud.* Sed an in dubio locus inspectioni esse debeat, quæstio nis est? Negativam amplectimur. arg. *princ. Inst. quibus modis tutela fin.*

Th. XLIII. Quamvis ex Imperat. Justin. Constitutione Procuratori non potuerit nocere *Inabilitatis* Exceptio ob infamiam, §. ale. *Inst. de Except.* l. 1. quis *procurationem*. 34. *Cod. de Decurion.* uti communiter D D. statuunt *Illustr. Jct. STRUV.* *Exerc.* ad ff. 7. 1b. 30. *DONELL.* & *HILLIG.* lib. 18. c. 9. lit. P. *PETR.* *THEOD.* in *Jud. crim.* cap. 4. apb. 4. lit. I. num. 32. *CARPZ.* in *proc. tit.* 5. art. 1. §. 1. num. 14. *ZANGER.* cap. 8. n. 99. *de Except.* *THOLOS.* in *Synt. J. Univ.* lib. 40. cap. 4. n. 11. obesse tantem potuit *Advocat* ol. 1. §. ait *prætor.* 8. ff. *de postul.* l. *Advocati.* 14. *Cod. de Advoc.* divers. *Judic.* l. *accusator* 5. ff. *de prevaricat.* *CARPZ.*

Resp. Elec. 3. lib. 3. num. 3. Quod multò magis Jure
Canonico procedit, quō ne quidem infamis ad *procus-*
rationem admittitur *can. infamis 1. c. 2. quest. 7. caus. 3.*
Dn. STRUV. cit. 1. ZANGER. alleg. tract. Et hoc
etiam in Camera Imperiali, aliisque Judiciis obtinet,
attestante *Ordin. Cam. p. 1. cit. 18. c. 19.* Imo & jure
Saxonico, quod etiam in causis allodialibus in famam
ab *Advacature* munere arcet. *Land. X. lib. 1. art. 16.*
versl. Ein redlich Mann. *vid. tot. tit. ff. de his, qui no-*
quantur infamia. tot. tit. Cod. ex quibus caus. infam. irro-
gat. adde. Illustr. JCT. STRUV. Exerc. ad ff. 7. th. 18.
DONELL. & HILLIG. lib. 18. cap. 7. c. 8. ubi plene
tractatur tam de his causis, quibus ipso Jure infligitur
infamia, quam iis, quibus mediante sententiā à Judi-
ce latā, vel paclione, confessionem delicti continentur.
Sic ipso Jure, nullā Judicis sententia expeditā, infa-
mia infligitur, qui quæstus faciendi causā in scenam
prodiit, siquique spectaculum populo præbuit *l. 1. ff. arg.*
l. si fratres 21. Cod. dict. tit. Exceptio est in peniten-
te, re tamen adhuc integra existente, *l. 2. §. 5. l. 2.*
dict. cit. vid. adhuc sex Exceptiones penes *HILLIG.*
cit. loc. quas inter & hac, si Scholastici voluptatis, in-
*dustriæ, exercitamentivæ, non quæstus causā, comoc-
dijs agunt.*

Th. XLIV. Non ipso Jure, sed superveniente
sententiā condemnatoriā, v. g. Si in contractu vel in
quasi mandati, societatis, depositi, tutelavè quis ob-
dolum se condemnari patiatur, *l. 6. §. fin. ff. dict. tit.*
Illustr. JCT. STRUV. cit. 1. An igitur idem Juris, si quis
ex prædictis contractibus ob latam culpam condem-
netur? Negamus *arg. §. 6. Inf. de suspct. Tute. Dn.*
STRUV. cit. 1. DONELL. cit. lib. 18. c. 8.

Th.

Th. XLV. Quidam *Advocatus* s. *Procurator* Patrocinium suum alicui promisit, visisque Juribus, propalat illa omnia adversæ Parti: deinde in Judicium vocatus convincitur, & condemnatur, quæritur: an ipsi posteâ in Judicio a*curio* recte opponi possit.

Tu es prævaricator? Affirm. l. i. l. *athletas* 4. §. *ca- lumnator* 4. ff. *de his qui nos infam.* l. si i. 4. ff. *de prævarico* ex quibus liquidò constat, istum infamiam incurtere: CARPZ. *Resp. Eiect. 3. lib. 3. n. 1. & seqq.* JUL. CLAR. *præt. crim. 5. fin. quæst. 72. vers. tergiver- fator. n. 2.*

Th. XLVI. Neque evitabit *Prævaricationis* crimen, indeque descendenter infamiam, si prætendat, Clientem promissum salaryum solvere recusasse; cum aliò modò, vel Acta retinendo, *Magnif. Dn. BECHMANN. cit. Exerc. 8. num. 60.* vel Judicem adeundo & implorando CARPZ. d. l. *num. 11.* Ipsius prospectum sit ad justum salaryum nanciscendum, nec necesse habet ob id statim variare, causam clientis derelinquere, eam adversæ parti manifestare, illiique prorsus in Judicio patrocinio suo adsistere CARPZ. *cit. l. num. 10. 11. & 12.*

Th. XLVII. Nec disparis erit fortunæ *Advo- catus*, Actori qui haec tenus præstitit patrocinium, li- temque vicit; Si deinde, partibus Actoris derelictis, in puncto executionis contra Reum instituenda, ipsi Reo patrocinari velit CARPZ. d. *Resp. num. 16.* nec deficit Ratio: quia nimirum conventione nondum finita est, dum executio superest, & sic habendus esset pro eo, qui & Actori & Reo in una eadēmque instanti & conventione patrocinium præstaret, quem tamen *prævaricationis* falsivè criminis reum fieri manifestissimum est *ex l. prævaricator est 1. ff. de prævaricato* CARPZ. *cit. l. n. 9.*

Th.

Th. XLVIII. Sed quid si uni ex litigantibus patrocinetur *Advocatus*, incidit ne & tunc in prævaricationem, cum clientis sui Jura manifestat parti adversæ, etiamsi nullum ab eo accipere velit honorarium? Affirm. per dict. l. i. *Magnif. Dn. BECHMAN.* cit. Ex. ercit. num. 64.

Th. XLIX. Fingamus, Sejum *Advocatum* vel *Procuratorem* bibisse cum carnifice quodam, deinde Sejo alicujus litigantis causam in judicio deducendo objici *Inabilitatem* Exceptionem propter id, weiles mit dem Schäfrichter getrunken hätte: queritur an recte? Resp. quod non: quia ipse carnifex non est infamis; Sed saltim levis notæ macula laborat. *Illustr. JCT. STRUV. in Iprud. Rom. G. For. lib. i. tit. 13. aph. 8.* *Exerc. ad ff. 7. tbcf. 20. Magnif. Dn. BECHMAN.* dict. Exerc. num. 71, ubi refert, sic Collegium Justorum Jenens. mens. Mart. Anno 1621, pronunciasse in verb. • *Dass kein Nachrichter seines Standes und Ambts halber für unmehrlich zu halten, quare inconvenientissimum esset, bibentem eam tali infamiae maculâ conspurcari.* arg. l. *sancimus 22. Cod. de Panis.* Interim prudenter & caute agitur, si ejusmodi hominis conversatio negligitur.

Th. L. Idem Juris in eum esse statuendum arbitramur, quem, dum in felix in milites impios, acries literatorum osores, incidit officio carnificis, v.g. quandam suspendendo, vel fugitivo militi aurem abscondendo, fungi oportuit. arg. l. i. §. 6. ff. *de postu. & l. perspicendum 11. ff. de panis.* cum infelicitas fati talis excusat l. 12. ff. *ad L. Corn. de Sicar.* Quare repellendus est sic excipiens: *Tu carnificis officio futilis es?* nec injuste. Aioni injuriarum locus derelinquendus.

Th

Th. LI. Cum nonnulli quandoque *Advocati*
sint tam in civiles, & improbi, ut magis injuriis,
quam legibus in positionibus suis utantur, clientes ad
negandum instruant, ad jurandum adhortentur, non
immerito secundum delicti qualitatem, & alias occur-
rentes circumstantias ipsis Advocaturā & foro inter-
dicitur, vel in perpetuum, vel ad certum tempus. PA-
PINIANUS*l.* Imperator. 8. ff. de postulando *et l.* moris *cfr. g.*
ff. de pan. *l.* cum à praefecto. *l.* si quis. *s.* *l.* providendum
est *r.* *Cod.* de postul. *l.* si remunerandi. *b. 5.* Marius Pan-
ius *7.* *ff. mandati.*

Th. LII. Sed posito, alicui *Advocato* foro &
Advocatione in quinquennium interdictum esse, an
finito quinquennio postulandi & advocandi faculta-
tem recipiat? Affirm. *dicit l.* Imperator. 8.

Th. LIII. Quid si ex criminis famoso impos-
tum ipsi fuerit silentium? idem adhuc erit dicen-
dum *dicit l.* *g.* ubi habetur *Divum Adrianum* sic rescri-
psisse, adjecta hac ratione: ne poena tempore deter-
minata, contrà sententia fidem ulterius porrigitur.
WISSENB. *disp. ad ff. 11. tb: 2.* DUAREN. *ad sit. de*
postul. cap. ult. Ampliatur, ut nec adversarii patien-
tia & consensus illum habilitare possit, cum ipse *Judex*
ex officio talem repellere possit. GAIUS. *l.* *quos prohibet*
7. ff. de postul.

Th. LIV. Occasione præcedentis ulterius
inquirendum, an *Advocatus* seu *Procurator* postulare
prohibitus, ubique, sine locorum & judiciorum di-
stinctione, postulare prohibetur? Refert distin-
gvere in hoc proposito, utrum prohibitio sit facta u-
nâ cum infamiae macula: utrum vero sine illa. Pri-
ori casu ubique: posteriori vero non æquè. WISENB.
cit. l. & sic recte in aliquo illustri Regimine postulare

D

pro-

prohibitus, coram senatu oppidano non censetur
prohibitus: tūm quia ex distincta magistratus
persona, aut majoris estimationis est injuria, aut
minoris, vel prorsus nullius arg. s. si communi seruo 4.
Inst: de Injuriis: tūm quia in poenis benignior inter-
pretatio facienda cap. 49. de R. I. in sexto, & cap: odia
is. I. interpretatione 42. ff. de Pœnis.

Th. LV. Lucius *Advocatus* ebrietate nimia
obrutus, postulandi causā comparet in Termino, Ad-
versarii autem ex ejusdem titubantia aliisque pluri-
bus indicis hoc animadvertēns, statim excipi contrā
eum dicendo: *Tu es ebrios*: queritur an recte? Resp:
quod sic; tūm, quia qui nimio vino inuigent, incisi-
unt quid loquantur, can. sanè 7. c. 15. quæst. 1. tūm quia
ebrietas poenam meretur, can. inebriaverunt. 9. dict.
caus. & quæst. tūm quia ebrietas ad excessus commit-
tendos est proclivissima l. omne delictum 6. s. qui se vul-
neravit 17. verb. per vinum lapsis ff. de re milit. tūmq; de-
niq; quia & decor & dignitas judicis tales non patitur
l. ff. de postul. Hinc vigore Exceptionis oppositæ: *Tu
es ebrios*; non in iuriā Lucium repelli existimandum
est, juxta illud:

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

Th. LVI. Quandoque causa in judicio tradan-
da Postulaturis seu Procuraturis impedimento est,
quo minus habiles admissibilesque sint, veluti, si quis
uni ex litigantibus patrocinium promiserit, proinde-
que omnia Acta & jura legerit, ac recognoverit, pos-
steā tamen mutatō consiliō alteri ex litigantibus pa-
trocinium præstare paratus sit, tunc enim non injuste
contrā eum excipi potest: *Tu Acta mea & jura vidi-
psi, tuumq; patrocinium mihi promisisti*, adeoque Pra-
varicator es! Illustr. JCT. STRUV. Exerc. ad ff. 7. et. 100
nec

126.

nec talis se defendere poterit contrā Exceptionē
oppositam, quod promissum salaryum cliens dare re-
culaverit. *STRUV.* allegat. loc. Cūm Advocate non
liceat variare.

Th. LVII. Imò & in aliis justioribus vehemen-
tioribusque causis, Reum ipsum requirentibus *Pro-
curator inhabilis*, v. g. Juris jurandi à litigatore præ-
standi, matrimonii, aut factum obscurius continentibus,
quod clarius & manifestius ex ipsius Rei vultu ac
sermone reddi potest *DONELL.* & *HILLIG.* cit. loc.
lit. C.

Th. LVIII. Finge Sempronium passim obam-
bulasse, *Advocatos* peritiores adiisse, multa de causa
sua justitiā dixisse, *Aga* & *Jura* sua ostendisse, illo-
rumque auxilium in præstanto patrocinio implora-
se, queritur, si deinde Adversarius unius ex aditis
patrocinio utatur, an recte in eadem causa oppona-
tur *Inabilitatis* Exceptio? Resp. Affirm. per l. i. ff.
de prevaric. Nisi primò malitiosè hoc fecerit Sem-
pronius, quo facundiores urbis *Advocatos* adversario
auferret, vel secundò nondum patrocinium Sempro-
nio promissum fuerit: utroque tamen casu ex con-
silio Judicis hoc faciendum, uti benè monet *Dn.*
STRUV. dicit. Exerc. adff.

Th. LIX. In causis criminalibus hodiè ex parte
Accusatoris sine discriminē *Procurator*, speciali ad
hoc mandato instructus, admittitur, attestante Dn.
PETR. THEODOR. intrat. Crim. cap. 4. apb. 4. lit. A.
num. 2. *JUL. CLAR.* §. final. quest. 12. num. 17. & quest.
32. versl. Ratio autem num. 3. ubi scribit: *Et ideo ex
parte Accusantis semper admittitur Procurator.*
ZANGER. cit. l. n. 10.

Th. LX. Accusatum vero si inquisitum quod attinet, cum citatus Procuratorem mittit, regulariter non admittitur: proinde Inabilitatis Exceptio & tunc validè opponitur; quod non solum in criminibus publicis, sed etiam in privatis delictis verum est, modo propter illa ultra relegationem poena sit irroganda. PAPINIANUS. l. Accusatore 13. §. 1. ff. de publico. Judic. JUL. CLAR. cit. loc. num. 1. & 2. ubi communem hanc D.D. esse opinionem attestatur: ratio etiam hujus decisionis sua luce radiat, quia, si Inabilitatis Exceptio contraria Procuratorem locum non obtineret, quilibet Reus mitteret Procuratorem, qui pro ipso compareret: & si per sententiam poena corporis afflictiva irrogaretur, executio sententiae fieri non posset. JUL. CLAR. iv. c. num. 3. cum via excedendum sit, condemnatum in loco permansurum, deprehensione locum derelicturum: Tuitior ergo in hoc passu est realis citatio.

Th. LXI. Sed cum Inquisitus carceri inclusus continetur, nullum planè est dubium, quin ipsi Advocatus ad defensionem conficiendam concedendus sit, cum defensio Juris naturalis sit, quo & bestiæ utuntur, multò magis homines. I. quadrupes. 1. §. cum arietes. 1. ff. si quadrupes pauperiem &c. l. itaq. 4. princ. & l. scien-
tium 45. §. qui cum aliter 4. ff. ad L. Aquil. COEPOLL. con-
sil. crim. 44. n. 4. & consil. 66. num. 3. HYPPOL. de MARSIL.
adl. 18. §. cognitorum. 9. de questione. n. 47.

Th. LXII. Sed quid si egenus sit Inquisitus. Advocatum habere non possit ob paupertatem? Resp. Hoc in puncto magistratum ex officio teneri ad constitendum Advocatum, impensis ex publico sumendis: HYPP. de MARSIL. in pract. crim. §. nunc vi-
dendum: prout hanc in rem justissimè dispositum CA-
rol.

126.

ROL.V.P.H.Q.ars.47.in f.verb. Wo aber der Verfagte oder seine Freundschaft solche obgedachte Unkosten so muchs halber nicht ertragen oder erleiden möge / damit denn nichts desfo minder das Ubel gestraft / oder der Utschuldige wieder Recht nicht übereiset werde / so soll die Obrigkeit die Kosten darlegen / und der Richter in Rechten verfahren & secundum hanc Ordinat. criminalem quo. tide pronunciari à Sabinis nullum est dubium.

Th. LXIII. Militibus quoque obest hæc Excēptione. ALEXANDER. in l. militem 7. Cod. de Procur. nec ratio obscura est, quia reipubl. interest, eum non a vocari à militia, dict. l. DUAREN. ad tit. de Procurat. c. 4. Quibus assimilantur monachii cap. 1. 2. extrane clerici vel mon. secul. se immisc. neg. qui ne quidem in foro Ecclesiastico habiles sunt can. monach. 35. c. 16. quæst. i. Dn. HILLIG. in DONELL. dict. lib. cap. 3. lit. M. M. nisi Ecclesiæ utilitas ita exigat, Abbate tamen prius im perante dict. can. Monach. Dn. HILLIG. cit. l. & ratiō adest, ne nimirum ejusmodi persona à divinis ad profana avocentur. DUAREN. dict. l. quod multò magis in criminalibus causis procedit HILLIGER. dict. l.

Th. LXIV. Surdum inhabilem esse, sat aper tum est ex dict. l. §. 3. cum non possit exaudire edictum Prætoris l. l. §. 3. ff. de postulando. Sed quid si tardius exaudiatur? tunc eum exceptione hæc non esse repellendum putamus arg. cit. l. & arg. §. item Sardus. Infit. quibus non est perm. fac. testam. Ratio quia sè pè literati & eruditii Viri variis casibus & audiendi & loquendi facultatem amittunt. Imper. dict. §. 3. l. demque Juri de eo statuendum, qui articulatâ seu hastante voce loquitur dict. §. & ratione citata.

Th. LXV. Sunt & aliae plures adhuc personæ, quæ procuratoris vel Advocati munere fungi non

possunt, de quibus videri possunt BRUNNEM, ad ff.
tit. de postul. & tit. de Procurat. DUAREN. DONELL.
& HILLIG. dict. I. THOLOS. lib. 48. cap. 7.

Th. LXVI. Oppositâ igitur ritè & justè à litigantibus vel ipso etiam judice, prælaudata Exceptione, contrâ Adversæ partis *Advocatum* seu *Procuratorem*, sequitur, ut instantia dissolvatur, positiones ab Aetatis removeantur, sententia, si qualata, nullius momenti sit, Adversarius in Expensas condemnetur, *Advocatus* ipse, circumstantiis ita exigentibus, poenâ quâdam pecuniarâ afficiatur, infamie macula conspurcetur, de quibus omnibus & singulis in antecedentibus Thesibus tractavimus.

Th. LXVII. His itaque nunc positis præsenti Dissertationi, leviter secundum tenuitatem genii conscriptæ, finem impono, ac DEO ter. Opt. Max. gratias, pro viribus ad hoc concessis ago maximas, humillimè rogitanus, ut ulterius gratiâ suâ cœlesti mihi clementer adesse velit.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Unus ex litigantibus vel ipse, vel *Advocatus* ejus dolo usus est : queritur, an alterius litigantis *Advocato* contra tales, iterum dolo utilicium sit? Neg.

II.

Mævius cum cliente pactus est de certo salario & quidem sine distinctione, sive vincat, sive minus: deinde ulterius sub hac conditione, si victoriam reportaturus sit, de certo palmario ultrâ prius pactus est, queritur an cliens teneatur? Affir.

III.

Pacto sic nunc inito Mævius *Advocatus* ante vi-

victriam reportatam inter homines esse desiit, quæ-
ritur si post ejus mortem clientulus feliciter obtineat,
an Mævii hæredes validè promissum petere possint
palmarium ? Neg.

IV.

Quidam asserunt, infamiam r. & e. dividi in e-
am quæ *Jurū*, & eam quæ *Fagi* est : quidam verò hoc
negant : quam nam ergo ex istis duabus diversis sen-
tentiis eligendam esse arbitraris ? Eam, quâ divisio as-
seritur, tenendum esse arbitror.

V.

Cum quidam, mole debiti prægravatus, bonis
suis cessisset, deindeque in foro *Advocatum* agere
vellet excipitur contra istum ? Tu bonis cessisti : quæ-
ritur an arcendus sit à postulandi munere ? Resp.
quod non, quia cessio bonorum non irrogat infami-
am *i. debitores ii. Cod. ex quib. caus. inf. irrog.*

VI.

Sempronius in propria causâ *Advocati* mune-
re functus est, siumque *Adversarium* vicit, quæritur
an rectè petat salaryum ? Neg.

VII.

Levissimâ culpâ admissa clientis suo *Advocatus*
detrimentum causatus est, quæritur an teneatur hoc
refarcire *Advocatus* ? Neg.

VIII.

Verus *Procurator* ad cautionem præstandam
non est obstrictus.



Nobilis applaudit Themidos Tibi turba docenti.

Quām multis præstes dotibus ingenii?

Ornamenta Themis molitur pollice docto

Nobilia, inque Tuum labitur ipsa sinum.

Auguror & voveo cupidus Tibi nobile nomen,

Quod jubare exsuperet nobile stemma suo.

Hac pauca Nob. atq. Clarissimo D N.

Autori Resp. Amico estimatis.

gratul. apposuit

M. Joh. Paulus Hebensireif.

Nicht/was von außen gleich t/ ist Golde gleich zu schätzen/

Nur durch die Probe wird sein edler Werth erkannt;

Wer nur mit Worten prahlt / und ungeliehrten Schwäzen/

Wird sonder Zug und Rechte ein Advocat genant.

Ein solcher Midas-Kopf wird nie den Klang erlangen/

Womit Astreins Hand begabte Geister schmückt/

Die Göttin selbst verlacht sein kühnes Unterfangen

Und rückt ihm offters vor/Er sey noch ungeschickt.

Ein mehrerstan hier von die nette Schrift uns zeigen/

Die deingeschärffter Kiel ist an das Licht gestellt;

Den Meister lobt das Werk! Die Neider müssen schweigen/

Selbst Themis öffnet dir Ihr goldnes Ehren-Zelt,

Dem Herren Antwortenden/ seinem viel werthem

Freunde schrieb dieses eysfertig

Salomon Franck / von Weimar.


D. N. B.

DNC

Jena, Diss., 1681

(X 2403652)

VDT



B.I.G.

Farbkarte #13



Bra. H. num. 22.

1687, 21

30

D. D. B. V. •
TIO JURIDICA
DE
IONE INHA.
IS CONTRA
OCATUM,
Quam
ris J Ctorum Jenensium
Ordinis,
RÆSIDE
CHRISTOPHORO
J. J. D. P.
ceptore suo aeternum colendo,
diem Julii
o. Ic. LXXXI.
torio Juridico
torum censuræ exhibet
DUS SCHELLER,
via - Variscus.
& RESPONDENS.

JENÆ,
uelis Adolphi Müllerij.

